

GRATIANI CANONES

GENUINI AB APOCRYPHIS DISCRETI,

CORRUPTI AD EMENDATIONUM CODICUM FIDEM EXACTI,

DIFFICILIORES COMMODA INTERPRETATIONE ILLUSTRATI

OPERA ET STUDIO

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI VNELIENSIS,

In Regio Athenæo Jurisconsultorum Collegio adscripti,

Et Jurisprudentiæ Studiis in Regia Academia Præfecti.



TAURINI, MDCCLII.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.



REGI AUGUSTISSIMO

CAROLUS SEBASTIANUS BERARDUS.



*Uoties animo repeto, REX AUGUSTISSIME, varias
temporum rationes, præsertim vero cum antiquis
nostra, & recentia confero, incredibili quadam
mentis voluptate, atque jucunditate perfundor, quod beatissima, ac
propemodum aurea ætate me natum intelligam, ea videlicet, qua*

ad



IN UNIVERSUM OPUS PRÆFATIO.



Revagata res est, atque in communi prudentia sita, in Gratiani Decreto, quod ceteroquin ad definiendas sive Scholarum, sive fori controversias in Occidentali Ecclesia tanquam magna pars Ecclesiastici juris habetur, quamplurima contineri, ad quæ tuto quis vel scribendo, vel orando, vel iudicando sine meliorum Codicum adminiculo non possit adniti. Jam pridem agnitæ sunt frequentes falsorum nominum inscriptiones, passim depravatæ Græci sermonis interpretationes, minus appositæ interjectiones, atque additamenta verborum, omnia ferme, ut paucis dicam, a suis exemplaribus dissona, & longissime ab Auctorum intelligentia sensuque disjuncta. Quod quidem nemo non videt, quantum semper negotii facessere potuerit viris rerum sacrarum studiosissimis, qui vel in ipsis collectionibus Canonum, quas tanquam venerabilia sacræ doctrinæ deposita scrutari quotidie debent, non leve errandi periculum extimescunt. Eo devenerant aliqui, ut existimarent, collectionem hujusmodi una cum ceteris similibus esse de medio omnino tollendam, ut dein ipsa ejusdem memoria, si fieri id posset, penitus interiret. Sed viris gravissimis, & prudentissimis, qui plurimum tribuere sciverunt vitio illius ætatis, qua sine delectu opus qualecumque foret, vulgus excipiebat, optimum illud semper visum consilium fuit, ut in collectionis emendationem potius studeretur, ac totis viribus incumberetur; siquidem hac ratione collectoris famæ parcendum videbatur, non enim diris devovendus erat, aut damnandus, qui in obscura sæculi duodecimi caligine non mediocrem sui nominis famam labore, ac studio sibi comparavit, plurimæque utilia in futuræ ætatis emolumentum evulgare scivit, & potuit; præterea inter falsa, corruptaque monumenta plurima adhuc ibidem reperiuntur cum cæteris minime perdenda; quibus addere juvat, universos Scriptores, & Canonum Interpretes hac collectione usos fuisse, atque aliter eandem interire non posse, nisi cum illa Interpretum ipsorum omnium scripta, glossæmata, documenta cum maxima disciplinæ nostræ jactura simul intereant.

Hanc ergo suscipiendæ emendationis provinciam Viri sapientissimi adgredi studuerunt, quorum alii meliore ordine fragmenta Canonum distribuere, alii capitum



P A R S P R I M A.

*De Canonibus Ecclesiasticorum Conciliorum nomine
a Gratiano relatis.*



ACRI Conciliorum Canones ii potissimum sunt, ex quibus veteres collectiones componebantur; sic Dionysius Exiguus ab illis exorsus est Codicem suum, & Ecclesia Africana nihil aliud ferme in suum Codicem retulit, quam suarum Synodorum communi suffragio editas Constitutiones. Gratianus propterea, quem non decebat in sua collectione adornanda a vetustis collectoribus omnino desistere, plures Conciliorum Canones in illa recensuit. Sed, ut erat rerum facrarum, praesertim veterum non satis apprime peritus, in aliquibus lapsus est gravissime; quum enim non omnium Con-

ciliorum una, eademque sit ratio, & ad quatuor, ita dixerim, species potissimum illa referri oporteat, ut alia Concilia generalia, sive oecumenica sint; alia particularia, ut vocant, quae tamen paullatim de Provincia in Provinciam traducta, ab omnibus tandem recepta fuerunt; alia rursus particularia, quae apud eam tantum Dioecesim, in qua celebrata sunt, non etiam exteris moribus confirmata deprehenduntur; alia demum, quae aut injuste convocata, aut injuste perfecta Pseudosynodos, vel Conciliabula vulgo appellamus, in omnibus hisce Conciliorum speciebus enumerandis nullum delectum habuit Gratianus, qui non solum de statutis particularium Conciliorum ita differuit, quasi ab universa fere Ecclesia recepta fuerint, verum etiam ipsarum Pseudosynodorum sententias, quasi germanas Ecclesiae sanctae definitiones describere per imperitiam, ut arbitror, non dubitavit; idcirco juvabit principio dicendi quaedam, licet pauca de horum omnium Conciliorum auctoritate generatim attingere.

De auctoritate Conciliorum primi generis, idest oecumenicorum nemo alius dubitare ullo modo potest, nisi qui Ecclesiae universae iudicium contemnat, ipsius sane Domini ore jamdiu damnatus, quasi Ethnicus, & Publicanus, ut dicitur Matthaei